



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XL. Gregorii Papae I. Ad Anthemium Svbdiaconvm. De monachis  
circumquaque vagantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

duce omnipotenti Domino deferuire. Quam rem venerabili Felici eiusdem ciuitatis episcopo nos significasse cognosce: ne præter suam notitiam in diœcesi sibi concessa ordinatum quippiam contristetur.

## EPISTOLA XL.

## GREGORII PAPÆ I.

## AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

De monachis circumquaque vagantibus.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

Grat. 16. q.  
1. cap. 32.

**I**OANNES frater & coepiscopus noster, directo per Iustum clericum suum capitulari, inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum, in Surrentina diœcesi positorum, de monasterio in monasterium, prout eis libuerit, transmigrare, & a proprii abbatis regula desiderio rei secularis abscedere: sed & quod non licere notum est, peculiaritati eorum singulos studere. Si quos autem qualibet occasione a clericatu in monachicam conuersionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem, vel aliam ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuo remeare: nisi talis vitæ monachus fuerit, vt episcopus, cui ante militauerat, sacerdotio dignum præuiderit, vt ab eo debeat eligi, & in loco, quo iudicauerit, ordinari. Propterea experientia tua præfenti iussione mandamus, vt neque monacho vltius de monasterio in monasterium liceat migrare, neque eorum aliquem peculiare quidquam habere permittas. Sed si quilibet hoc præsumpserit, in monasterio, in quo ab initio conuersatus est, & sub abbatis sui regula, de qua fugerat, cum competenti coercionem reddatur: ne si tantam iniquitatem fluxam in emendatamque dimittimus, pereuntium animæ a præpositorum anima requirantur. Et quia aliquos monachorum vsque ad tantum nefas profuisse cognouimus, vt vxores publice fortiantur, eos omni habita vigilantia requiras, & inuentos digna coercionem in monasteriis abbatum, quorum monachi fuerunt, retransmittas. Sed & de clericis ad monachatum venientibus, sicut supra diximus, peragere non omittas. Ita enim Dei placabis oculos, & impletæ mercedis particeps inuenieris.

Grat. 37. q.  
1. Et quia.